

hominum mentes, vt ostendat hunc mundum non casu ex Democriti Atomis conflatum esse, sed architectatricem esse, mentem æternam, iustam, & beneficam, & vt ingentes vitæ utilitates adferat. Adfirmo etiam Dei ope inter tantas imperiorum ruinas & barbaricas confusiones, non humana diligentia, sed diuinitus has artes conseruatas, & subinde restitutas, & illustratas esse. Hæc Dei beneficia grato pectore celebros, & eum oro, ne sinat hanc sapientiam in genere humano extinguere. Eo etiam facilius hunc magnum laborem, in docendo, & in varijs operibus edendis sustineo, & quæstuosas artes omitto, vt Deo gratitudinem in conseruatione huius sui doni ostendam. Tibi quoque Princeps Illustrissime, Marchio Alberte, Dux Prusiæ gratias ago, & agent alij non stolidi homines ad posteritatem, quod vt religionem, leges, disciplinam: ita & has artes, quæ religioni, & ciuili societati seruiunt, gubernatori tuendas esse censes, & nostra studia tua liberalitate foues. Nec verò dubium est, olim quoque sapientissimorum Regum hanc curam fuisse, vt posteris hanc sapientiam traderent, quos vt grata posteritas meminisse posset, nomina eorum stellis attributa sunt. Ideo ab Atlante, Orione, Chirone, Perseo sideribus nomina facta sunt. Nam hi Principes viri cœlestes motus obseruarunt, anni metas constituerunt, & vt ego existimo, insignes euentus præuiderunt, & recens tabulæ Alphonsinæ dictæ sunt, quod sapientissimi Regis consilio & liberalitate hæc doctrina restituta est, & tabulæ constructæ sunt, quarum iam annis plus ducentis præcipuus vsus fuerit. Eodem consilio & ego has tabulas Prutenicas dici volui, vt sciret posteritas, tua liberalitate, Princeps Alberte, nos adiuutos esse, & tibi gratiam ab ijs, quibus profutura sunt, debere.

Et si autem honorificum est relinquere nominis & virtutum memoriam in scriptis, historijs, in tropheis, in ædificijs, tamen multo splendidius est, & gratius habere monumenta in his pulcherrimis, & perpetuis corporibus, cœlo & stellis quasi fixa,